

Ecclesiæ non obligent infideles, tamen ex eo quod in casu una pars ex contrahentibus erat fidelis, et factum ipsum habebat relationem ad fidem jure statuit Cœlestinus crimen patratum ab infideli constituere impedimentum dirimens christiani matrimonii.

2º. Proposita est species de quibusdam mulieribus christianis quæ nupserant Saracenis conversis ad fidem a quibus earum viri in bello fuerant pugnando interfecti. Qua in specie respondit Cœlestinus matrimonium valere nec posse mulieres istos conversos, ceu non legitimo matrimonio sibi conjunctos deserere.

4. In *c. 2. h. t.* species est de Judæo ad fidem converso, remanente ejus uxore in infidelitate, et statuit Greg. IX. puerum ex matrimonio in infidelitate natum post triennium ætatis suæ apud patrem educari debere. Hanc Const. Bened. XIV. in epist. *'Probe te' diei 15. Nov. 1751* extendit etiam ad casum conversionis uxoris, ita ut ob fidei privilegium filii qui in infantia aut pueritia constituti sunt, nec doli sunt capaces, debeant educari semper apud conjugem conversum. Nec aliqua injustitia admittitur, cum ipsæ leges civiles quamvis aliquando pro sexus diversitate patri, matrive filios attribuerint *l. un. C. Divortio facto, apud quem liberi morari vel educari debeant*, tamen ex justis causis præsertim ob suspectos matris mores filios omnes quamvis exuberens soli matri educandos committebant. Ita *ll. 1. et 3. ff. De liberis exhibendis*. Jam vero major pejorque suspicio non datur, quam si filius doli incapax relinquatur sub potestate et directione parentis infidelis.

Diximus vero filium doli incapacem; nam si sit doli capax, cogendus non est ad religionem christianam sequendam, sed eligat cui ex parentibus vel infideli vel converso adhæreat: *cit. can. 33. c. 23. q. 5.*

TITULUS XXXIV.

De voto et voti redemptione.

1. Votum in sensu canonum est 'Promissio deliberata Deo facta de bono meliori et possibili'. Dicitur 1º. *promissio* ut distinguatur a consilio et proposito, quæ intentionem utique aliquid faciendi important, non autem secumferunt voluntatis decretum ad suscipiendam actu aliquam obligationem. Hinc qui non exequitur propositum utcumque firmiter et efficaciter conceptum in materia indifferente, idest nec vetita nec præcepta, peccati reus non est

c. 3. h. t. Dicitur 2º. *deliberata* quia scilicet ad votum concipiendum requiritur perfecta animadversio seu cognitio objecti promissionis. Hinc indeliberata et minus considerata sponsio votum dici nequit, sed est potius aspiratio quædam voluntatis spontaneæ non ex consilio rationali, sed potius ex motu instinctivo procedens. Quare sponsio hæc est potius opus phantasie et imaginationis quam rationis et intellectus. Pariter libera debet esse voluntas. Ea vero sufficit libertas voluntatis quæ sufficit ad peccatum patrandum. Verum communis doctorum arg. *c. Veniens 5. Qui clerici vel monachi*, tenet vota emissa sub metu gravi injusto esse irrita, adeoque non indigere dispensatione. 3º. *Deo facta* vel immediate, vel mediate seu immediate facta sanctis. Deum vero semper respicere debet votum quia est actus religiosus et ad cultum pertinere dicitur. 4º. *De bono meliori*. Hæc verba non significant objectum voti esse semper bonum perfectum aut optimum. Nam omnes conveniunt objectum voti esse posse rem simpliciter honestam, immo et rem de se indifferentem, quæ vero ad bonum finem dirigatur. Igitur votum de bono meliori fieri dicitur 1º. quia promissio de re honesta non debet impedire prosecutionem majoris et perfectioris boni. Sic ex. gr. regulariter non valet votum de matrimonio contrahendo quia melior est continentia et status religiosus. Igitur votum fit de meliori bono negative, quatenus meliori bono obviare nequit. 2º. De meliori bono fit votum etiam positive, quia res etiam simpliciter honesta eligitur ceu medium animam perficiendi. Scilicet obligatio de re honesta suscipitur quia pro vitæ spiritualis utilitate judicatur melius esse actionem aliquam simpliciter honestam ponere quam non ponere. Tandem *De bono possibili*. Et enim impossibilium nulla est obligatio, sive impossibilitas sit moralis, quæ exurgit ex prohibitione legis, sive sit physica, quæ est ex incapacitate virium et defectu proportionis medii ad finem. Qua in re animadvertendum est impossibilitatem ex defectu virium et capacitatis aliquando reduci ad magnam difficultatem qua res arduæ dicuntur impossibiles. Hoc in sensu impossibilitas sumitur cum sermo est de possibilitate legis applicandæ universæ communitati. Quare lex nimis ardua, seu quæ maximam secumfert difficultatem imponi nequit populo. Hinc quod optimum est sub lege non cadit. At cadere potest sub consilio ac proinde potest esse materia voti. Immo votum potest comprehendere etiam id quod exequi non potest suis ordinariis viribus, sed indiget aliqua gratia

Dei, ad illud exequendum. Quemadmodum est castitas perpetua juxta illud proverb. 'Scio quod non possum esse continens nisi Deus dederit'.

2. Prima divisio votorum est ut alia sint *solemnia* alia *simplicia*. Solemnia sunt quæ ab Ecclesia uti solemnia recognoscuntur. Reliqua vota licet ab Ecclesia probentur, simplicia nuncupantur. Etenim Bonif. VIII. *c. un. h. t. in 6º*. docet *vota solemnizari ab Ecclesia*. Porro hæc solemnizatio duo importat. Primo quidem Ecclesia judicat auctoritate sua aliquod genus actionum revera perfectionis medium constituere. Unde ille qui vovet hoc genus actionum præstandum in forma recognita ab Ecclesia, certus est in conscientia sua, promissionem datam esse de bono meliori et possibili illamque a Deo acceptari. Secundo autem solemnizatio præstita ab Ecclesia specialem effectum tribuit, qui in eo consistit, ut actus contra votum emissum non solum sit illicitus, sed etiam invalidus et irritus, dum actus contra votum simplex est in genere solummodo illicitus. Quare solemnitas voti non est qualitas intrinseca ipsi voto, sed in se eadem sunt vota solemnia et simplicia et utraque exhibent promissionem Deo factam. Solemnitas ergo voti est qualitas extrinseca, procedens ex actu legitimo Ecclesiæ, quæ approbans votum eidem tribuit virtutem irritandi actus contrarios. Quo posito mihi non arridet sententia eorum qui tenent votum solemne distingui a voto simplici quia in solemnibus adest acceptatio Dei per Ecclesiam ac proinde unum ab alio substantialiter distinguunt. Nam solemnitas voti *arg. cap. un. h. t. in 6º*. procedit in sensu supra exposito; et quoniam etiam votum simplex est promissio de bono meliori præsumi debet acceptatio ejus ex parte Dei.

3. 2^a divisio est ut alia vota sint *realia*, alia *personalia*, alia *mixta*. Realia ea sunt quibus promittitur res aliqua distincta, aut quæ distingui potest a facto mere personali ex. gr. eleemosyna, ædificatio, vel reparatio Ecclesiæ. Personalia quæ aliquid a persona determinata præstandum designant ex. gr. peregrinatio aut obsequium personale Deo præstandum, aut jejunium. Mixta sunt ea vota in quibus præter præstationem rei, etiam promittitur ipsa actio personalis. Ex. gr. si promittitur peregrinatio cum obligatione aliquid sacræ imagini donandi.

4. 3^a divisio est ut alia *non sint reservata*, alia *reservata*. Primi generis sunt ea quæ Prælati ordinarius potest dispensare,

redimere vel commutare. Reservata autem sunt quæ exsuperant potestatem ordinarii superioris, sed ex speciali dispositione solum dispensare, redimere et commutare potest superior auctoritas in Ecclesia. Et primo quidem Summo Pontifici reservata sunt vota solemnia. Quoad vero vota simplicia ex *Extr.: 'Etsi dominici' fin. De Pœnitent. et remission. inter comm.* reservatur S. Sedi: 1º. Votum perpetuæ castitatis, 2º. votum religionis approbatæ ab Ecclesia, 3º. votum peregrinandi Romam seu ad limina Apostolorum, 4º. votum peregrinandi Hierosolymam ad sepulchrum Domini, 5º. votum peregrinandi Compostellam ad S. Jacobum. Reliqua vota simplicia subsunt potestati Ordinariorum, qui possunt noviter eadem sibi reservare.

De voti obligatione.

5. Quodcumque votum valide emissum ex virtute religionis obligat ad præstandum id quod promissum fuit. Quodsi votum cognoscatur et probationis capax sit, potest fidelis homo ab externo foro Ecclesiæ adigi ad illud implendum, præsertim si Ecclesiæ, vel causæ piæ intersit votum impleri *c. 6. h. t.* Porro votum personale aut etiam mixtum, nisi adsit impedimentum, implendum est ab ipsomet vovente. Neque enim valet principium 'qui per alium facit per se ipsum facere videtur'. Votum vero reale per alios impleri potest, immo debet impleri quando vovens per se ipsum nequeat illud implere.

6. Quæritur an obligatio votum implendi transeat ad hæredes. Si sermo sit de voto reali, certum est illud obligare etiam hæredem illius defuncti qui vovit, et non implevit votum. Nam successores tenentur ad solvenda onera realia antecessorum *c. 18. De censibus* et hæres adeundo hæreditatem tacite fecit suas obligationes illam afficientes. Vota autem personalia hæres implere non tenetur, quia præsumitur testatorem voluisse solummodo personam suam obligare. Excipitur casus quo hæres in se susceperit onus implendi votum quod defunctus non implevit. Votorum mixtorum executio ad hæredes transit quoad partem realem quoties pars realis a personali separari possit, seu quando pateat voluntatem voventis fuisse obligandi æque principaliter rem et personam suam, non vero quando pateat voluisse obligare principaliter personam, et accessorie rem, seu quando præstatio rei reducitur ad merum obsequium personale. Verum ad hæredem transit onus implendi

votum quoad partem realem et quoad personalem si utramque obligationem in se hæres susceperit. Species legitur in *c. 6. h. t. de Duce Hungariæ* qui ab Innoc. III. obligatur ad implendum votum paternum quod ipse Dux patri in extremis agenti se impleturum sponderat, visitandi nempe Hierosolymitanam provinciam in forti manu seu cum exercitu et in humili corde. Hoc votum erat certe mixtum.

De voti redemptione.

7. Redemptio voti stricto sensu sumpta significat mutationem obligationis personalis in realem obligationem; arg. *c. 1. h. t. in quo* quæritur, an votum peregrinationis eleemosynis redimi possit, vel in aliud commutari. At communiter sub hac appellatione DD. intelligunt quamcumque liberationem ab obligatione voti. Hæc vero liberatio seu cessatio voti pluribus modis potest contingere. Primo loco immutatione status rerum. Quæ immutatio vel in votis personalibus contingit, cum persona vovens impedimento perpetuo detineri incipit, quo non amplius possit votum implere. Hoc in casu vovens non tenetur per alium obligationi, quam contraxerat, satisfacere. Sed huic theoriæ opponi videtur *c. 8. h. t. in quo* Summus Pontifex decernit ut illi, qui voto ultramarino se obstrinxerint idest voverint in bello terræ sanctæ christianæ militiæ auxilium, si nequeant in propria persona pugnare, teneatur quisque in bonum terræ sanctæ refundere eas expensas quas iturus fecisset. Resp. Votum peregrinationis hierosolymitanæ non erat simpliciter pro causa devotionis, et ad obsequium personale Christi sepulchro præstandum, sed erat potius mixtum et de votis realibus ita participabat, ut æque principalis esset obligatio personalis et realis. Nam revera votum emittebatur in subsidium terræ sanctæ. Igitur impedita persona, valebat votum quoad præstationem rei, quæ cedere poterat in subsidium terræ sanctæ. Iterum immutatio status rerum tum quoad vota personalia tum quoad realia verificatur quoties materia voti deficiat seu quoties opus Deo promissum fiat vel illicitum, vel impeditivum majoris boni ex. gr. si post votum peregrinationum, aut status clericalis quis velit ingredi religionem. Vel tandem quoties opus factum fuerit indifferens ex. gr. si cessaverit prorsus periculum ob quod quis sibi voto inhibuit ingressum in aliquam domum, cessat obligatio voti. Ad hanc immutationem status rerum reducitur etiam cessatio conditionis vel temporis in voto adjecti.

8. Liberatio vel cessatio voti contingit secundo loco per irrationem voti. Irritatio est actus, quo ille, a quo vel persona vovens, vel materia voti dependet, tollit obligationem voti. Unde votum per se est validum, et obligat quousque non fuerit irritatum. Hæc irritatio obligationis fit ex sola voluntate illius, a quo vovens ipse, vel voti materia dependet. Nam vota semper habere præsumuntur implicitam conditionem 'nisi contradicat ille cui vel vovens, vel materia voti subest'.

9. Et 1º. ex dependentia personæ potest superior regularis vota religiosorum irritare, quia voluntas religiosi inferioris effectum non habet nisi in quantum fuerit confirmata aut tolerata a Superiore. Excipitur votum transeundi ad institutum strictioris observantiæ. Qua in re Superior contradicere nequit, posito quod electio religiosi sit bonum melius. Episcopus vero non potest irritare vota clericorum sibi subjectorum nisi in quantum impediunt utile ministerii ecclesiastici exercitium. Clerici enim licet sint Episcopo subjecti, tamen conservant juridicam personalitatem et retinent velle, et nolle. Unde Episcopus in clericos habet quidem jurisdictionem, seu auctoritativam potestatem, sed non habet potestatem dominativam. Si autem votum obviaret exercitio sacri ministerii ex. gr. si clericus voveret se non accepturum beneficium parochiale Episcopus posset votum hujusmodi irritare, quia in hoc clericus revera subditur Episcopo ceu judici competenti, et Superiore legitimo. 2º. Pater, et proprius tutor possunt omnia vota impuberum irritare; impuberes enim liberi et pupilli quoad omnem obligationem suscipiendam ob imbecillitatem iudicii in jure censentur pendere ab auctoritate et directione patris vel tutoris *c. Mulier. 14. c. 32. q. 2.*

10. Ex dependentia autem ratione materiæ, et ne alienis juri- bus præjudicium inferatur 1º. pater, et curator possunt irritare vota puberum filiorum, et minorum si hæc vota cedant in damnum rerum paternarum vel administrationis curatori commissæ. Hinc pater irritare nequit vota filii de bonis castrensibus et quasi-castrensibus: quia hæc propria et libera sunt filii. 2º. Vir potest irritare vota uxoris quæ præjudicant eidem viro vel in debito conjugali, vel in administratione rei familiaris. Non potest vero vir irritare hæc vota si ab uxore ante matrimonium fuerint emissa. Potestas enim viri in uxorem incipit a tempore initi matrimonii: nec habet vim retroactivam.

11. Tertia liberatio vel cessatio voti contingit per commutationem ejusdem voti, idest per subrogationem alterius operis in locum operis promissi. Commutatio fieri potest in opus Deo gratum, vel majus, vel æquale, vel etiam minus. Commutatio voti in opus evidenter melius fieri potest etiam auctoritate privata, seu ab ipso vovente, arg. c. 4. h. t. et c. 3. De jurejurando. Non enim, ait Pontifex in cit. cap. 3., propositum infringit qui in melius illud immutat. At exceptio est 1^o. quoad vota Papæ reservata, quæ non possunt immutari nisi in religiosa professione, arg. c. 4. h. t. 2^o. quoad vota emissa cum juramento, quia duplex est obligatio in casu, una ex voto idest ex fidelitate, altera ex juramento quod est actus distinctus a voto, et supremus religiosi cultus. Quemadmodum infertur ex literis Apostolicis Bened. XIV. ad Pœnitentiariorum urbis, datis die 3. Decemb. 1749 § 3. n. 43. quæ incipiunt 'Inter præteritos'. Quare emissa professione religiosa quoad jussurandum exposcenda esset relaxatio ejusdem. 3^o. Excipiuntur vota emissa in utilitatem tertii, et ab eodem acceptata. Commutatio enim in casu læderet jus tertii per quasi-contractum acquisitum.

12. Commutatio voti in bonum æquale, vel inferius ut legitime fiat, requiritur causa vel utilitatis, vel difficultatis et auctoritas superioris. Nomine superioris venit non solum Romanus Pontifex sed etiam Episcopus quoad vota non reservata. Simples sacerdotes commutare possunt si privilegium seu indultum habeant commutandi vota. Hoc privilegium concedi solet a Sacra Pœnitentiaria pro votis cum debitis limitationibus pro foro conscientie et in sacramentali confessione. Commutatio, si fieri possit, melius est ut a reali ad reale votum, a personali fiat ad personale. Pariter si commode possit fieri ad æquale bonum, faciendum non est ad minus.

13. Quarta liberatio fit per dispensationem voti. Dispensatio est actus legitimi superioris quo ex justa causa aufert titulum obligationis voti. Per dispensationem ergo deficit prorsus ipsa obligatio. Requiritur vero justa causa, quia potestas Ecclesie teste Paulo 2. Cor. 13. data est in ædificationem. Causæ autem sunt 1^o. si votum conceptum fuerit ex minori deliberatione, ex. gr. in aliqua animi perturbatione, vel in ætate puerili, 2^o. magna difficultas quæ adversatur executioni voti, inspecta præsertim conditione in qua vovens versatur; 3^o. si ex obligatione voti notabile damnum vel spirituale vel temporale sequatur. 4^o. Dispensatur

votum ob bonum commune Ecclesie vel reipublice arg. cc. 5., 7. et 9. h. t. At ex sensu horum capitum et c. 1. h. t. animadvertendum est dispensationem considerari in jure ceu rem odiosam, tollit enim penitus obligationem. Hinc ad eam deveniendum non est quando commutatio fieri potest. Unde Sacra Pœnitentiaria solet dispensare commutando.

14. Ad dispensandum requiritur auctoritas legitimi superioris. Absolutio enim a vinculo spirituali ab iis solum concedi potest, quibus dictum est 'quæcumque solveritis super terram, erunt soluta et in cælo'. Quare dispensatio pertinet ad potestatem jurisdictionis. Legitimus vero Superior est pro tota Ecclesia Romanus Pontifex, qui dispensare potest non solum in votis simplicibus, sed etiam in solemnibus. Vi enim verborum Christi Tibi dabo claves, . . quodcumque solveris . . judicare potest legitime Romanus Pontifex de omni negotio spirituali fidelium et decernere quid agendum sit. Cui rationi accedit etiam altera: quia nempe solemnitas voti non est aliquid intrinsecum voto, ita ut natura sua votum solemne distinguatur a simplici; sed pendet ab Ecclesia, quæ acceptando promissionem, decernit esse nullos et irritos actus positos contra virtutem voti. Quare solemnitas votorum non limitat potestatem Romani Pontificis.

15. Pro subditis diocesanis proprius Episcopus dispensat in votis simplicibus et sede episcopali vacante, Vicarius Capitularis, in quem ordinaria Episcopi jurisdictio transit. Insuper etiam prælatus exemptus seu nullius dioceseos qui jurisdictione quasi-episcopali gaudet, dispensare potest in votis simplicibus subditorum suorum. Cum vero Episcoporum potestas subordinata sit supremæ potestati Romani Pontificis, hinc Episcopus, et a fortiori prælati inferiores non possunt de lege ordinaria absolvere in quinque simplicibus votis reservatis S. Sedi. In his autem quinque votis potest etiam Episcopus juxta theoriam probatorum auctorum dispensare quando adsit impedimentum adeundi Romanum Pontificem et necessitas ob periculum animæ urgeat. Præterea Episcopus et alii prælati inferiores non possunt dispensare in votis solemnibus: probata sunt enim vota hæc ab Apostolica Sede.

16. Quoad vero vota simplicia Pontifici reservata animadvertendum est, reservationem horum votorum esse odiosam, quippe quæ potestatem ordinariam Episcoporum et aliorum prælatorum

restringit. Quare strictè accipienda est reservatio. Hinc DD. tradunt non esse reservata Romano Pontifici, sed dispensari posse ab Episcopo vel ab alio praelato jurisdictionis 1^o. promissiones factas non Deo sed B. Virgini, vel alteri Sancto servandi castitatem perpetuam, ingrediendi religionem etc. 2^o. Votum castitatis temporaneæ, votum castitatis conjugalis, votum non nubendi, non petendi debitum, non fornicandi etc. Et ratio est quia hæc vota non sunt completa et perfecta vota castitatis perpetuæ. 3^o. Vota quæ non sint omnino certa. Unde reservata non sunt vota in quibus rationabiliter dubitari possit utrum adfuerit vera promissio seu intentio suscipiendi obligationem, vel plena deliberatio. In dubiis enim benignior pars est præferenda *Reg. 36. Juris in 6^o*. 4^o. Vota indeterminata prout sunt alternativa, quorum unum non est reservatum. Ex. gr. si dicatur: voveo castitatem perpetuam, aut jejunium perpetuum. 5^o. Vota non absoluta idest concepta sub eventuali conditione, quoadusque conditio implementum non habuerit. Quoadusque enim conditio suspensa manet promissio non constituit verum votum obligationem inducens. Quin immo gravissimi DD. tenent vota hæc conditionata neque post impletam conditionem uti reservata haberi posse, quia ortum habuerunt a consensu imperfecto, et alligato conditioni suspensivæ: adventus autem conditionis cum non inducat novam voluntatem, non mutat naturam voti prius imperfecte emissi. Adeoque hoc votum non cadit sub reservatione quæ rigidæ interpretationi subjicitur. 6^o. Quinque vota, de quibus supra, non sunt reservata, ac proinde dispensabilia ab Episcopo quoad circumstantias speciales accidentales adjectas a vovente ex. gr. si quis voverit peregrinationem romanam pedibus faciendam. Tandem si vovens scierit bene distinguere castitatem a virginitate et expresse voverit virginitatem perpetuam. Conf. Ferraris *Biblioth. can. v. Votum art. 3*. Ultimam vero exceptionem hic auctor undequaque non probat.

17. Ad materiæ de voto intelligentiam quæritur quid operetur valida dispensatio? Certum est apud omnes cessare per hunc actum Superioris obligationem voti. At obligatio potest cessare sive per actum legislatoris qui destruit vel suspendit virtutem legis, vel per actum auctoritativum judicis, qui declarat juridice et efficaciter pro tali persona, et pro tali re vinculum legis non verificari. Hinc etiam judex dicitur cum veritate absolvere reum ab actione legis.

18. Duplex est doctorum sententia. Alii cum Paludano in *4. d. 38. q. 4. ar. 4.* tenent dispensationem reduci ad actum quo declaratur materiam voti non esse amplius Deo gratam, et ratio est quia cum vota intercedant directe inter Deum et hominem voventem, constituunt legem inter Deum et ipsum voventem. Votum igitur producit jus favore Dei. Quare auctoritas Ecclesiæ proprie dispensare in voto non potest seu non potest destruere vinculum quod existit vi voti. Quare melius est si dicatur Superiorem ecclesiasticum auctoritative judicare, seu denunciare talibus in adjunctis et circumstantiis versari hominem in quibus Deus votum ejus seu opus, vel promissam rem non acceptat, ac proinde locum esse cessationi voti. Ex hac sententia sequitur dispensationem voti etiam per Romanum Pontificem factam nullius esse valoris, quando causæ nullæ sint. Quare in voto non viget principium cæteroquin certum in materia dispensationum, illicitam esse, sed validam dispensationem factam a Superiore absque legitima causa, in specie legibus ecclesiasticis subjecta. Cujus regulæ ratio hæc est, quia in dispensatione legis ecclesiasticæ Superior procedit ceu legislator potestatem habens directam circa ipsam legem, et actus dispensationis sortitur valorem et effectum non a causa sed ab intentione seu voluntate superioris dispensantis. E contra valor dispensationis in voto juxta sententiam expositam totus ab existentia causæ procedit, qua posita Superior ecclesiasticus potest declarare cessationem obligationis ex defectu acceptationis Dei, non posita autem causa, nequit Superior denunciare cessationem voti. Quare in iis quæ a vovente proponuntur Superior proprie legem voti non abrogat, sed judicium fert super causis seu circumstantiis quæ ab eodem vovente proponuntur.

19. At alii auctores cum Lessio *De justitia et jure lib. 2. c. 40. Dub. XII. n. 98. et seqq.* animadvertunt officium declarandi materiam voti non amplius esse Deo gratam pertinere potius ad DD., quam ad praelatos. Hinc docent, dispensare in voto nil aliud esse quam relaxare voti vinculum, et tollere ejus obligationem condonando homini Dei debitum, quod erga Deum vovens contraxit. Probant autem in Ecclesia adesse hanc potestatem: 1^o. ex perpetuo usu Ecclesiæ quæ debita fidelibus condonavit contracta erga Deum ex voto, juramento et similibus; 2^o. ex Paulo 2^o *ad Cor. c. 2.* ubi scribit 'ego quod donavi, si quid donavi, in persona Christi'; 3^o. ex verbis Christi *Matth. 16. Tibi dabo etc. et Matth. 18.*

Quæcumque etc. Quæ verba sunt generalia et intelligi possunt de omni vinculo quod homo potest contrahere erga Deum; 4^o. ex ratione; si enim Deus dedit Ecclesiæ potestatem solvendi a vinculo culpæ et pœnæ, cur non etiam a voto? Auctoritas Lessii plurimi facienda et rationes allatæ maximi ponderis sunt. Unde hanc secundam sententiam priori præferendam esse censemus.

TITULUS XXXV.

De statu monachorum et canonicorum regularium.

1. Cum in præcedentibus titulis actum sit de votis in genere et de ingredientibus religionem, in præsentī titulo specificè agitur de observantia trium votorum solemnium quæ in religione approbata emittuntur. Cum vero tractatio hæc potius ad moralem theologiam spectet quam ad jus canonicum, hinc duo solum materiæ tituli evolvemus, seu tractabimus de voto paupertatis et de lege clausuræ monachorum. Quoad votum obedientiæ solummodo animadvertimus, in aliquibus congregationibus votorum simplicium abusus irrepsisse, ut ex dispositione regulæ præsertim religiosæ mulieres tenerentur propriam conscientiam Superiorissæ pandere. Ad istos abusus compescendos, teste Bizzarri, in sua *Collectanea pag. 832*. S. Congr. Episcoporum et Regularium 'minime solet approbare aperiitionem conscientiæ Superiorissæ, sed tantum permittitur, ut sorores, si velint, pandere possint defectus in regulæ observantia, et progressus quoad virtutes. De aliis enim ab eis agendum est cum proprio confessario'.

2. Hisce obiter notatis sermonem instituimus primo loco de observantia voti paupertatis. Qua in re animadvertimus indifferens esse an religiosum institutum possidendi sit capax, vel ex elemosynis et oblationibus manualibus vivat, semper enim singuli religiosi ex virtute emissi voti paupertatis possidere prohibentur. Ex quo sequitur, nullum religiosum etiam cum licentia Superioris habere posse proprie dictum peculium, quia abdicatio proprietatis adnexa est essentialiter regulæ monachali *c. 6. h. t.* Peccat ergo contra votum paupertatis religiosus qui etiam de Superioris licentia non quidem juridice, sed affectu et effectu tamquam sua retinet bona immobilia, vel census aut præstationes ordinarias sive in usum fructum, sive in usum, sive in administrationem privatam, sive in privatam commodum. Ita ex sensu *cap. 2. h. t.* ita etiam

ex Trid. *c. 2. sess. 25. De Reg.* et ex Const. Clem. VIII. 'Nullus omnino' quæ renovata fuit ab Urbano VIII. in sua Const. 28.

3. At relate ad administrationem animadverti potest 1^o. sub hac prohibitione non comprehendi œconomum seu confratrem qui bona monasterii ex commissione et ad nutum Superioris et in commodum monasterii administrat *cit. c. 2. Conc. Trid. sess. 25. De Reg. et cit. c. 2. h. t.* 2^o. Pariter religiosi ex licentia vel expressa vel præsumpta Superioris non prohibentur retinere res mobiles sibi necessarias et iisdem rebus uti, easque impendere in suos usus honestos et moderatos. Trid. in *c. 2. sess. 25. De Reg.* 3^o. Si sermo sit de legatis relictis personæ regulari sive in bonis immobilibus, sive in annuis redditibus, hæc legata cedunt monasterio si capax sit possessionis. Hinc peccaret contra votum paupertatis tamquam proprietarius religiosus ille qui horum bonorum vel annuorum reddituum administrationem susciperet et in proprios usus converteret, vel in toto, vel in parte.

4. 4^o. Idem dicendum de livellis, seu de annuis præstationibus quæ ex constitutionibus aliquorum monasteriorum præsertim Sanctimonialium fiunt pro singulis personis. Hæc scilicet livella debent a Superiore recipi et in capsâ communi conservari. Expendi autem potest pecunia livelli a Superiore in usus necessarios personæ religiosæ, quod vero superest, cedit in bonum monasterii. Cæterum persona cui livellum solvitur de licentia superioris aliquid in elemosynam vel in parvas donationes potest erogare. At hac in re sequens facienda est animadversio.

5. Quamvis perfecta vita communis non sit de essentia status regularis, tamen S. Sedes in votis habuit, ut ea observaretur. Pius IX. vero decreto edito *die 22. Aprilis 1851* hæc quæ sequuntur præscripsit per organum S. Congr. EE. et RR. Videlicet 1^o. 'In omnibus Novitiatus domibus vita perfecte communis introducatur, et quæcumque indulta, privilegia, exemptiones familiæ illius individuis antea concessa derogata censeantur. — 2^o. In domibus professorii, educationis et studii perfecta constitutionum observantia potissimum de paupertate revocetur. — 3^o. In qualibet domo statuatur ærarium seu capsâ communis cum solitis cautelis, in qua a religiosis omnibus non obstante quolibet privilegio deponenda erit pecunia, cum nil eis penes se retinere licitum sit præterquam quod constitutiones respectivæ permittant'. Qua dispositionum gradatione optime intelligitur quid ad sensum S. Congr.